



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De Creatione Prioris Et Conventvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

bus juribus & attinentiis suis, ipsi loco & fratribus præsentibus & futuris ex certa scientia confirmamus, & tam locum ipsum quam fratres cum bonis habitis & habendis in tuitionem & protectionem recipimus spiritualem. In quorum omnium & singulorum evidens testimonium roburque perpetuum præsentes literas memorato loco tradidimus, sigillo nostro, nec non antedicti fidelis nostri Reinmar de Prennberg sigilli munimine roboratas. Actum & Datum Ratisbone, Anno Domini M. CCC. XXIV. Calendas. Februarij.

**N**OS Waltherus Dei gratia Thuronensis Ecclesiæ Episcopus, Vniuersis præsentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi, quod nos de licentiis & consensu Reuerendi in Christo Patris & Domini, Domini Nicolai Venerabilis Episcopi Ratisponensis, qui nos in suffraganeum suum, matura deliberatione præhabita elegit: Consecrauimus CELLAM BEATÆ VIRGINIS, IN SCHOPFLOCH, ad instantiam Domini Reinmari de Prennberg, & fratribus dictæ Celle. Insuper omnibus dictam Ecclesiam frequentibus in festo Corporis Christi, & singulis festiuitatibus B. Virg. nec non in die Dedicationis dictæ Ecclesie, sancti Michaelis, ac sancti Benedicti, & omnium Sanctorum, atque per octauas dictarum solemnitatum, de omnipotentis Dei munificentia, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quadraginta dies criminalium, & octoginta venialium in Domino misericorditer relaxamus. Datum & actum in Schopflock. ANNO Domini 1325. pridie Nonas Augusti.

### DE CREATIONE PRIORIS ET CONVENTVS.

**F**RIDERICVS Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Ratisponen. Vniuersis ac singulis Christi ac Christiani, Ecclesiæ orthodoxæ fidelibus, ad quos præsentes peruerent, aut quorum interest, ac interesse poterit in futurum, salutem in Domino sempiternam. Claret Pontificis sincera deuotio, & splendidis radiatur operibus, cum ex ipsius officij potentia, monasteria seu alia pia loca Deo dicantur de nouo eriguntur, reguntur, ac in melius reformatur, in quibus sacra viget religio, ac Regi Régum, Domino Dominantium per Christi fideles assidue militantes, quotidie famulantur, ex quo Christi fideles sibi futuris temporibus thesaurum inestimabilem, æterna remunerationis præmia & fruitionem beatitudinis consequuntur. Cum ergo temporib. præteritis REINMARVS DE PRENNBERG, intuitu pietatis, & ob remedium animæ sua Celle B. Marie situata in loco, qui vulgariter Schopflock nuncupatur, tradidit & donauit pro perpetua hæremistica mansione, vnius sacerdotis & trium & quatuor Conuersorum, titulo perpetuae proprietatis, Aream illam, in qua est sita Cella prædicta, cum agris, agricultura, eidem areae pertinentibus, pro uno arato sufficientibus, communiter excolendis, nec non pascua & ligna eidem areae, & hominibus & habitatoribus eiusdem Cellæ pro conuenienti & necessaria sustentatione sufficientibus quibuslibet perpetuis temporibus & futuris. Cui etiam Cellæ quidam Conuersus eiusdem loci Gottfridus nomine, ex postfacto donauit titulo prædicto, quandam Curiam dictam in GEHAY, soluentem singulis annis quatuor schaffas filiginis, & quatuor Schaffas venæ Ratisponen.

*Metrop. Salisb. Tom. II.*

R r

tisponen.



tisponen. Quam quidam Cellam pro vita hæremita ordinata, ut prædicta-  
 tor, & fundationem ad preces eorundem inchoatam, Reuerendus in Chri-  
 sto Pater reuelandæ memoriz, Dominus' Nicolaus Ratisponensis Ecclesiæ Episco-  
 pus' prædecessor noster, immediatus sua auctoritate ordinaria confirmata  
 est & de consensu Capituli censuit confirmandam, prout in eis literis  
 super eo editis evidenter continetur. Cumque amplioris temporis  
 in progressu strenuus Vir FRIDERICVS AVER DE PRENNBERG  
 fidelis noster dilectus & pio zelo ductus, cupiens diuini nominis serui-  
 tum, siue cultum suo posse incessanter augere, Cellæ memoratæ, titulo  
 proprietatis prædictæ tradidit, & addendo titulo donationis donauerit,  
 possessiones & proprietates infrascriptas, prout de jure ac facto hoc me-  
 lius facere potuit, pro se, & pro suis hæreditibus vniuersitis, & possessionem  
 corporalem earundem proprietatum, Cellæ præfatae ac eius Priori & Con-  
 ventui solutam & liberam, tradendo & omnimodè assignando. Quæ qui-  
 dem possessiones sunt iste videlicet, " Duæ Curiæ sitæ in Hardmarsell,  
 quæ annuatim soluunt 24. Schaffas' siliginis & 16. Schaffas' venæ, & cæte-  
 ræ prædia maiora & minora, prout in originali continentur, " petens  
 & nostri officij debitum implorans cum fiducia humiliter & deuotè,  
 quatenus ad hoc ut diuini cultus exercitium in populo Christiano salu-  
 briter augeretur, nostra auctoritate ordinaria sèpè dictam, Cellam  
 Schopftoch dignaremur in Monasterium monachorum S. BENEDICTI  
 erigere PRIOREM prælatum in eo constituere & CONVENTVM  
 ibidem creare, jura, honores & statum Collegij, secundum privilegij  
 consuetudinis & traditionis alterius Monasterij & Regule S. Benedicti con-  
 stituere & constitutum auctoritate ordinaria approbare nostris ac Capi-  
 tuli nostriliteris roborare & perpetuò remansurum. Deo dicare, sub ea  
 videlicet forma, quod Monasterium Cellæ prædictum, nunc & in an-  
 te per vnum Priorem prælatum ibidem à Conuentu cuiuslibet Mo-  
 nastrij eiusdem creandum, ac nos & successores nostros Ratisponenses Episco-  
 pos, quibuslibet futuris temporibus confirmandum, ad minus cum quinque  
 Monachis Conuentualibus actu Sacerdotibus existentibus illic continuo  
 degentibus & Deo famulantibus, & non paucioribus perpetuò gubernetur.  
 Et quod nunc Dominus Abbas Altachæ superioris & ipsius successores  
 vniuersi in eodem Monasterio Cellæ, eo jure seu possessionis commodo  
 tantur pacifice & fruantur, ut ipsi immediatè post nos & successores nostros  
 Ratisponenses Episcopos, perenniter, & quibuslibet temporibus futuris, quan-  
 tum spectat ad obseruantiam & traditionem obseruantę Regulæ prænotatae  
 intendant & intendere debeant siue possint, reformationem, correctio-  
 nem, emendationem morum & vitæ, contra singulas personas Monasterij se-  
 pedicti conuenienter, quando & quantum hoc fuerit oportunum, juxta do-  
 ctrinam & tenorem Regulæ sèpè fatigatæ semper nobis & successoribus nostris, in  
 omnibus & per omnia nostra auctoritate ordinaria, in dicto Monasterio  
 & personis eiusdem, tanquam capiti seu capitibus, in uiolatam, integrum, salua  
 & illæsa manente, cui per premissa nolumus in aliquo derogari. Nos ergo  
 cupientes proni ad gratiam inueniri maximè ab his, qui eam tanquam esse  
 debitam student propriis meritis vendicare, attendentes itaque grata ser-  
 uicia, quæ nobis & Ecclesiæ nostræ præfatus FRIDERICVS AVER im-  
 pendit & adhuc impedere poterit gratiore Christianis partibus inclinati,  
 super

super omnibus præmissis, deliberatione præhabita diligenter requisito super his & obtento totius nostri Capituli Ratiffonensis consensu, consilio, beneplacito pariter & assensu. De omnipotenti Dei gratia & Auctoritate nostra ordinaria à supremo motore nobis tradita & præfatam Cellam Beatae Marie in Schopfloch, inuocata Spiritus sancti gratia in Monasterium Conuentuale cum omnibus honoribus, Iuribus & libertatibus, ex priuilegio & obseruancia Ordinis sancti Benedicti competentibus ac competere valentibus de iure vel facto, ordinamus, facimus constituimus, creamus, & creando erigimus & DEO dicamus, seu nos ipsum constituisse, creasse, & ordinasse ignoscimus, ob honorem omnipotentis & Virginis gloriose perpetuo mansurum sub modo, forma & Regula ac obseruantii supernis annotatis, & præscriptas possessiones per Christi fideles dicto loco pietatis zelo vsque donatas & superius expressas ac alias quascunque in posterum eisdem Priori & Conuentui, per quoscunque fideles iusto titulo donaturas seu collatas eiusdem. Cellæ solita pietate nostra auctoritate ordinaria, prout eis ritè & rationabiliter sunt indultae, traditæ & concessæ, ac in posterum indulgebuntur seu donabuntur, innouamus, confirmamus, approbamus, ratificamus & præsentis scripti patrocinio communimus & roboratas esse ostendimus. Dantes has litteras nostri sigillorum appensione legitime consignatas in euidentis testimonium super eo. Datum Ratiffona Anno Domini Millesimo Trecentesimo LI. Indictione III. feria secunda post Ascensionem Domini.

**A**NNO Domini Millesimo Trecentesimo vigesimo quinto, pridie Nonas Augosti, consecrata est Ecclesia Celle Beatae Mariae Virginis in Schopfloch, à venerabili VV althero \* Seuensi Episcopo; ob reuerentiam, sanctæ \* & Individuæ Trinitatis, & præcipue in honore sanctissimæ & DEI genitricis MARIE, quæ est vera PATRONA huius Ecclesiæ, & erit dedicatio dictæ Ecclesiæ omni anno, sequenti Dominicæ post vincula Beati Petri Apostoli. Notandum etiam, quod hæ sunt reliquiæ contentæ in summo altari, videlicet de sancta Cruce: de crinibus, de lacte, de peplo & veste Beatae Mariae Virginis. Reliquiæ Apostolorum Petri & Pauli, Andreae, Philippi, Iacobi, sanctorum Martyrum Stephani prothomartyris, Laurentij, Erasmi, Dionissij Episcorum. Emerami, Episcopi, Mauriti. Reliquiæ Confessorum Siluestri Papæ, VV olfgangi Episcopi, sancti Benedicti, Antonij, Egidij Abbatis. Colta, sancti Nicolai & sanctæ Elisabethæ, Cecilia Virginis. De oleo sanctorum Virginum scilicet sanctæ Catharinae & VV alburgis, quatuor Virginum de numero undecim millium Virginum, de Columna, ad quam Dominus ligatus est. De tribus lapidibus Domini nostri Iesu Christi scilicet Sepulchri, de lapide super quem Dominus mortuus est, de lapide super quem Dominus sedit quadriginta diebus in deserto, cum esuriit &c.

Hæ sunt Reliquiæ contentæ in dextro Altari, quod est consecratum in honore sancti Michaelis Archangeli omnium Angelorum, primò de ossibus Innocentium, Mauriti Martyris, Ioannis & Pauli: de oleo Sancti Nicolai, Hieronymi presbyteris, Antonij Confessoris, Magni Confessoris, Catharinae, Margaretha, Cecilia Virginum: de ossibus Sanctæ Elizabethæ: Trium Virginum in munere undecim millium Virginum, quarum una vocatur Christina.

*Metrop. Salisb. Tom. II.*

Rr 2

Hæ